Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis ſecunda Januarii.

M. NICOLAO BRUNEL DE LA CARLIERE, Doctore Medico, Præſide.

An Robuſti diuturnioris Vitæ?

HUmanum corpus multis ex humoribus qualitate oppoſitis conſtitutum, ex ſemine utriuſque parentis formatur; geminum ſemen utero concluſum accuratè miſcetur; miſtionis ratio mente debet intelligi. Primis diebus inchoati hominis partes diſtinctæ diligenter conſideranti apparent. Hæc rudimenta poſt aliquod tempus in perfectum hominem tandem evadunt. Concluditur tamen velut captivus, donec viribus acquiſitis & reſpirandi impatiens in libertatem ſe vindicet. Id fit vel ſeptimo, vel octavo, vel nono menſe, quandoque etiam tardiùs; tempus id naturæ neceſſitate definitur, quæ legibus à Deo poſitis πάντα διοικεῖ. Primum quod in tenellulo & informi corpore movetur, eſt bulla, cordis initium, quæ in medio conſiſtens jam cæteros motus moderatur. Ab hac omnes ἀείδοδι. A corde comparent arteriæ & venæ ſpiritûs primùm, dein poſt affuſum à matre ſanguinem, humoris vivifici vectrices. A ſanguine temperies partium: In eo varii humores, bilis gemina, pituita, & ſanguis verè dictus. Ut illi non ὁμοίως calidi, frigidi, humidi aut ſicci ſunt, ſic temperamentorum penè infinita differentia. Temperies optima ab integritate ſeminis & ſanguinis bonitate, hujus dotes, ὑγεία, εὐαισθησία, ἰσχὺς καὶ κάλλος.

TEMPERIES quamvis bona corpus corruptioni ſubjicit. Corruptionis neceſſitas ex eo quod partes aliæ ſecedant, accedant aliæ non ſine aliquâ jacturâ, quæ aucta ruinam tandem affert. Hanc non tam citam patiuntur non animata corpora, quæ omnis ferè caloris expertia interitum non ſibi ſtruunt. Hinc vivens corpus fortis eſſet deterioris, niſi vitæ dignitas longè antecelleret reliquorum inerti diuturnitati. A calido viventis motus, à motu continuus effluxus. Ideo vivens ut ſtet, quod effluit, continuò reparari debet, ſed id non fit niſi vitii notâ ſuperſtite. Vitium in eo eſt, quod res quæ apponitur, non æquè bona eſt ac ea quæ decedit, unde ſenſim ſine ſenſu atteritur corpus, deficit & demùm diſſolvitur. Attamen quò partium eſt aptior, concinniorque poſitio (quod temperamenti beneficium) eò fœlicius damnum reſarcitur, eò ſtabilius corpus, & vita longior.

VITA actione definitur, ſanitas actionis integritate. Actio varia, hinc diverſa partium ſtructura. Quò ſtructura firmior, eò habilior actio. Partes licet plures ſint, conſentiunt tamen & in totum conſpirant. Una, ſi deflectat à recto, labem toti affert; deflectens quandoque aliarum virtute reſtituitur, ſic renes à recta temperie deſciſcentes, redduntur priſtinæ naturæ temperatiſſimi ſanguinis afflatu & affluxu. Cerebrum in frigus propendens recreatur calidiſſimi ſanguinis præſentiâ, & à calore unius & alterius frigore optima exurgit temperies, adeo ut frigidum cerebrum valeat ſpiritus functionum adminiſtros efformare. Hominis vita non omnino longa; æquè tamen diuturna, ac erat poſt prima à diluvio mundi ſæcula. Productio à copia ὑγροῦ καὶ θερμοῦ, quod licet μὴ δύσπηκτον & μὴ εὐξήραντον ſit, ſeptuaginta tamen annis plerumque conficitur & contabeſcit. Animantes quædam & plantæ nonnullæ vitæ diuturnitate gaudent præ homine abſque ulla ejus injuria. Materiæ ſcilicet quantitas & figura ex qua fingitur corpus humanum, non niſi certâ menſurâ calidi & humidi poteſt regi. Utrumque excedens impedimentum, quia majore calidi & humidi poteſtate collabitur temperies. Inter homines robuſti vivaciores.

ROBUR à partium ſolidarum firmitate. Harum exordium fibræ, quibus primùm formatis calidum & humidum, ſeminis ἔγγονον, inhæret tenacius. Fibræ partium fundamenta acceſſione ſanguinis, qui concreſcens vacuitates occupat, cumulantur, & fit omne corpus viſcerum. Fibrarum firmitudo firmitudinem partium facit. Quò ſemen purius, purioribuſque ſpiritibus concitatum, eò partes ab eò oriundæ fortiores, & magis conſiſtens calidum & humidum: adeò ut hæc duo occurrant ſemper, nec jure queant ſejungi. Hinc ventriculus, Hepar, Cor, Renes, Lien, glandulæ & membra cætera optimè compoſita ſuum munus obeunt pulchrè ſibique & aliis partibus utiliter allaborant, nec ullis ſe excrementis patiuntur obrui. Hinc omnis perfecta coctio, ſanguis optimus, ſpiritus copioſi & nitidi, excretio conveniens diuturnæ vitæ ſpes maxima. Fames & ſitis (ſtomachi & faucium affectiones) temperati robuſtique corporis virtute coercitæ, cibi & potionis modum commonſtrant, & quaſi temperantiam edocent; adeo ut quæ à natura optima ſunt, quàm facillimè ſe ſe tueantur.

ROBUSTI itaque longioris vitæ curriculo beantur. In hos quaſi ſibi gratioſiſſimos ſua bona pleniùs effundit Natura, intactâ fruuntur ſanitate, licet hæc à multis pendeat cauſis; omnes nempe ſic ad normam ſunt compoſitæ ut mutuam ſibi fideliter navent operam; Dentes miro & ordine & apparatu poſiti cibum terunt & coctionem adumbrant. Ventriculus chilum omnibus numeris abſolutum conficit, ſanguis inde exiſtit facultate omnibus corporis partibus convenienti inſtructus. Partes hunc, ut par eſt, excipiunt, ſociant & ſuperfluum reddunt. Nulla excrementorum proluvies. Craſſiorum ſecretio, opus inteſtinorum & renum: ſubtiliora quorum major copia, & à quibus ſuppreſſis majus periculum, vel minimarum partium contractionê pelluntur, quia nempe robuſtum corpus εὐπνούστατον eſt à ſpiritu vegeto. Robuſtus rarò aliquam corporis partem infirmam habet. Si habeat, aliarum firmitatè compenſat, quaſi aliarum vi, emendaretur vitium. Minùs vitæ incommodis objicitur. Hæc ſi incidant, vincit: ſi morbo capiatur, emergit; ſi ſatietas fatiget, ſuperat; ſi fames urgeat, tolerat abſque ulla offenſione: ciborum mutationes abſque detrimento ſuſtinet. Infirmum contra, ſatietas opprimit, cibi ſubſtractio aut mutatio infirmiorem reddit. Infirmum quam minimum peccantem gravis pœna conſequitur, dolor, morbus, mors. Robuſtus ſi erret, ne dolet quidem. Firma viſcera malum propulſant diuque ſuſtinent antequam afficiantur. Robuſtus cæli mutationibus non impeditur, nec frigore, nec æſtu offenditur, peregrinationes & ſtationes æque fert, tot bonorum cauſæ diuturnæ vitæ ſpem maximè dant & fovent.

Ergo Robuſti diuturnioris Vitæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus le Rat.
M. Ludovicus Labbé.
M. Andreas Enguehard Scholarum Profeſſor.
M. Ioſephus Thomaſſeau Chirurgia Profeſſor.
M. Ludovicus Poirier.
M. Petrus Bonnet Medicus Regis ordinarius.
M. Petrus Pourret unici fratris Regis Medicus ordinarius.
M. Antonius de Caën.
M. Carolus de Laval.

Proponebat Lutetiæ PHILIPPUS DOUTE', Pariſinus Baccalaureus Medicus. A.R.S.H. 1687.